



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema XLII. Cur Dæmon biverbio: Scriptum est, abigatur? Dominica I.
Qvadragesimæ. Scriptum est. Matth. 4. v. 4.7.10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA XLII.

Cur Dæmon biverbio: *Scriptum est*,
abigatur?

DOMINICA I. QVADRA- GESIMÆ.

Scriptum est, Matth. 4. v. 4. 7. 10.

§. 1.
Dæmon si
contemna-
tur, vin-
citur.



Ut abam nescio quàm fortem habere nos inimicum, qui Elephantò à Jobo, Giganti à Davide, Leoni rugienti & famelico à S. Petro comparatur; sed experior hodie tam debilem illum esse, ut uno flatu possit dispelli, uno verbo dejici, signo unico enervari, fugari, triumphari. Quid est facilius dicere quàm: *Scriptum est* &c. & ecce cæsus est, nec habet miser diabolus quod opponat, nec retinet animos, ut urgeat. Contemnatur, & victus est. *Aliter tentator non vincitur, nisi contemnatur* S. Augustinus Serm. 41. de verb. Dom. exhibetur, & fugatus est; Verbo DEI petatur & lapidatus est. Verba volant & lapidem non lædunt, inquit Kempensis, imò non verba & sententiæ multæ sed unicum, si in aëream potestatem, dæmonem inquam, volet, sic illum, qui est lapis offensionis lædit & offendit, ut conterat & perfundet. Patet hinc solutio problematis, cur alio instrumento ad debellandum Luciferum Salvator usus non sit quàm biverbio: *scriptum est*, quò constaret tam debilem nobis esse adversarium, ut vel hali-

tu prosterni, virgâ exanimari, guttula submergi, biverbio possit superari.

Tam imbecillis dæmon est, ut uno spiritu dejici possit. fraudulentus ille quidem est, sed non potens, immanis non robustus, ut dubitem utrùm aliquid sit eo infirmius & timidius. Cant. 1. v. 8. admirabilem fortitudinem sponsæ suæ celebrat Sponsus: *equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi te*. Quærit Rupertus hic: quisnam fuerit ille equitatus in curribus Pharaonis, vel quomodo in curribus Pharaonis. Scimus filios Israel non equites sed pedites excessisse Ægypto prout habetur Ex. 12. v. 37. *profectique sunt filii Israel sexcenta fere millia peditum virorum absque pueris*. qualem ergo equitatum habuit tunc DEUS, cui Sponsam confert? respondet Rupertus per equitatum DEI intelligi Virgam Moysi, quæ totum Pharaonis exercitum extinxit: *Magnum, & mirum Spectaculum!* Currus Pharaonis valde multi ferro armati, equitatus autem DEI virga una fuit. Virga Moysi, virga illa contra sublimes currus Pharaonis taliter equitavit, hoc modo pugnavit. Nunquam vidit Sol

§. 2.
Dæmon
virgâ ex-
nimatur.

tam

tam ordinatum exercitum, quam quando filii Israël excessere Ægypto. Insequitur Pharaon fugientes pleno impetu, certus omnes ac singulos contrucidare, etsi hostium sint sexcenta amplius millia, & jam capitibus eorum ad ripam maris imminet plenus omnibus furiis, flammantibus oculis, tumentibus omnibus venis, fumantibus naribus, nudatis rhomphæis. Væ vobis fugitivi, væ tibi mare rubrum hodie bis rubrum videberis. Sed quid animo concidimus? ordinate acies ô Israelitæ in adversum, si modò stetit & jugulum præbeatis, fatigabitur solâ cæde in tantum Pharaon, ut velut lassum canem denique conficere poteritis. Nec opus est armis, sufficit vobis unica, quam Imperator vester Moyses manu præfert virga, hæc est equitatus, hæc peditatus, hæc est currus, hæc est totus exercitus, cum quo itur in Pharaonem. Audite Dominum exercituum suo Generali vices gerenti loquentem: *Tu autem ele va virgam tuam (sceptrum Martium) & extendemanum tuam super mare & divide illud &c.* ergone in mari pugnandum non in terra, fluctibus ageudum non flammis? si ingrediamur nos mare, insequetur Pharaon & habebit nos sicut pisces in reti. Sed obediamus. quis scit, quid intendat DEUS, ut profit nobis. & ecce magnum & mirum spectaculum! extendere secundò jubetur Moyses virgam contra mare, *reversaque aque operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eo v. 26.* Hæc erat virgæ virtus, quæ crucem significabat. Pharaon Luciferi typus est, exercitus illius legiones inferorum adumbrat. jam assequimur mysterium: *equitatus meo in curribus Pharaonis assimilavit.* Si in campo aliquo

Martio staret ordinatissimus validissimisque exercitus, contra quem veniret nescio quis homo in equo ligneo & post velitationem trium horarum turbaret ordines, fugaret legiones, funderet exercitum universum, haud dubiè ille ligneus equus & scipio, quem victor manu gestat conferri posset imò præferri deberet hostili exercitui universo. Congregabatur Pharaon & primum robur totius Ægypti, magnus ferratorum curruum, major cataphractorum equorum, maximus virorum æneorum apparatus, sed his fugandis, his mergendis & ad unum omnibus occidendis, *Virga sat una fuit.* sic eruditur Sponsa cœlestis, si armata sit Cruce, sat armorum habet fundendo exercitui omnium diabolorum.

Sed si dæmon leo rugiens est, quomodo se terreri unicâ finit virgâ? respondet S. Bernardus Ser. 2. de resurr. quia *bic leo non scit nisi rugire*, quales leones Heliogabalus dicitur habuisse. infert proinde Abbas mellifluus: *non simus bestiae, ut nos prosternat vacuus ille rugitus.* Nota: *vacuus rugitus*, quem hac similitudine faciliè prosequemur. si tibi equiti & ab armis optimè instructo occurrat latro habens bombardam & nullum aliud instrumentum lethi, de bombardâ verò certissimò constet tibi vacuum omnino esse, ita ut latro terrere quidem possit, nullatenus autem nocere, an non excors sis si timeas, si te illi captivum tradas, si spoliari sinas? sic se habet cum dæmone. irrugire, tentare, infestari, terrere potest, sed habet sclopetulum sinè globo, sinè pulvere, sinè igniario lapide; certe nisi te peccatum in bestiam vertisset, nequaquam inveteratum malorum nequam timeres.

Timidam animulam sub Soly-mæ hieroglyphico solatur & animat DEUS

S. 3.
Dæmon
pictis mu-
ris expu-

gnatur &
flatu unico
diffatur.

DEus If. 49. v. 16. juxta versionem
70. *ecce ego depinxi muros tuos. nē
timeas ō anima hostem furentem,
leonem rugientem, gigantem mi-
nantem, ego pinxi muros, quibus
te muniam, propugnacula, quibus
te tuear, speculam ex qua tibi pro-
spiciam. Ecce ego pinxi muros tu-
os. Muros pinxit ait S. Ambrosi-
us l. de bono mortis c. 5. quibus ho-
stem possimus avertere. Sed quo-
modo muris pictis proteget ani-
mam, & propulsabit hostem? si quis
contra validum hostem adventan-
tem pictos muros exponeret, an
non exponeret unā se cachinnis?
Imò verò ridiculus ille hostis, qui
terreri se muris pictis sineret. Si-
nit autem diabolus. ego pinxi mu-
ros tuos, solis pictis muris tuebor te,
non est opus aliis lateribus & mar-
moribus, calce, bitumine vel fuso
plumbo. pinxi muros tuos, sanguis
meus pro te fusus fuit color, clavi
mei pro penicillis fuere, quibus
pinxi vallavique te ad panicum ti-
morem omnium hostium tuorum.*

Ex his infer quanta sit ignavia
nostra, si terreri nos permittamus,
imò ultro dedamus dæmoni, quem
solo flatu deficere possemus. De-
fertur ad baptismum infantulus,
dæmonis mancipiolum, sed paulò
post ungendus in agonotheam, ar-
mandus in pugilem, formandus in
militem, quem priusquam sacerdos
aquā lustricā abluat, dæmonem his
verbis impetit: *Exi ab eo immun-
de Spiritus, & da locum advenienti
Spiritui Sancto. & recede ab hoc fa-
mulo DEI, quæ ubi dixit, sufflat ter
in formam Crucis in faciem infantis
prout S. Augustinus l. 6. contra Juli-
c. 2. notavit. pulchra cerimonia:
Solo flatu dæmon ejicitur, tam im-
bellis est!*

S. 4.
Dæmon

Nec illud vacat mysterio, quòd
unica aquæ guttula sufficiat mer-

gendo dæmoni, quæ ergo ejus de-
bet esse infirmitas? de homine im-
becillimo, proverbio dicimus: in
una aquæ gutta submergi potest,
muscā levior est longe id verius de
dæmone: Disjectum est illius im-
perium & ipse redactus sub jugum
per passionem Domini universali-
ter, sed & per partes passionis sin-
gulas. S. Athanasius, ut definiat,
quā potissimum parte dæmon vul-
neratus sit, non ponit robur in spi-
nis, quòd dæmon iis confossus sit,
nec in flagris, quòd iis expulsus sit,
nec in arbore crucis, quòd eā con-
tritus sit, sed ad demonstrandam
dæmonis ignaviam: *dæmon, inquit
S. Pater Ser. de Pass. & Cruce, Do-
minum adorians confractus est, macta-
tus est non alibi, quàm in latere ad co-
stas, ex quo effluxit sanguis & aqua.*
Elegans mysterium quòd Christus
inimicum vincere & præfocare vo-
luerit aquā potius de latere profuā,
quàm Cruce aut alio cruciatuum
suorum instrumento, ut indicaret
tam ignavum esse hostem, ut aquā
modicā præfocari possit. Si tamen
nos ab eo mergi permittimus, non
est ipsius potentia sed nostra so-
cordia.

guttā mer-
gitur.

Intelligamus tandem aliquan-
do imbecillitatem hostis, quem tan-
topere, sed sine causa, formidamus.
Comparatur Cant. 2. v. 15. vulpi
parvulæ. Jere. 1. v. 14. Aquiloni.
Ab aquilone pandetur omne ma-
lum, hoc est, à diabolo inquit glossa
interlin. *Aquilo sonorus est & a-
sper* ait Stephanus Cantuar. in c. 4.
Amos, *& stridet sed non pluit.* Sic
terret & minatur dæmon sed non
pluit, non habet vires ad nocen-
dum. *diabolus nihileffet, si homines
cautiores essent* S. Chrylogus ferm.
104. Sed cur vulpi parvulæ con-
fertur? S. Gregorius Nyssenus
hom. 5. in Cant. Hic ergo tantus
Im-

S. 5.
Dæmon
splendore
armorum
cæditur.

imperator legionum dæmonum, quomodo revera & solâ potestate nominatur vulpes parva, & omnes qui eum circumstant & universus ejus exercitus vulpeculæ? non enim dicit venamini aprum sylvestrem, aut singularem ferum, aut rugientem leonem, aut magnam balænam, aut magnum draconem, sed parvæ vulpes & infelices, si cum nostris viribus comparentur, hæc S. Nyffenus. Næ ille imbellis est miles, qui solo armorum fulgore excæcatur, imò exanimatur. Dagon jacebat ante arcam I. Reg. 5. *à gloriæ claritate devictus, quæ circa arcam DEi exsplendescibat* inquit Basilius Magnus in c. 10. If. ecce ut solus armorum nostrorum fulgor illum percellat. *Tantum cura sit,* ait S. Chrysostomus hom. 4. in Gen. *ut ipsa quotidie arma abstergamus, ita ut fulgida sint, ut radiis excæcent oculos maligni dæmonis contra Salutem nostram omnia machinantis.*

§. 6.
Dæmon
verbo Dei
enervatur.

Imbecillitatem dæmonis Salvator noster hodie ostendit, quando solo verbo eum superavit: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo.* ô verbum quod vivificat hominem, mactat dæmonem. Notant S. Hieronymus & Haymo: *Dominus omnia testimonia contra diabolum de Deuteronomio sumsit.* Deuteronomium secunda lex dicitur & designat Evangelium, datque hoc factò Dominus exemplum, ut quoties à dæmonibus vel malis hominibus impugnamur, ad Sancti Evangelii authoritatem protinus confugiamus.

Et quia testimonia Scripturæ nostra arma sunt præcipua, iisdem nos impetere conatur dæmon proût S. Chrysostomus adnotavit hom. 5. ex variis: *inde tentat vincere, ubi*

dedit se fuisse jam victum. Sed adverte quàm astutè & falsè Scripturæ verbis abutatur: Mulierem decepturus Gen. 3. *Cur,* ait *præcepit vobis DEUS, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* de uno tantum ligno, ut S. Paschasius observat, præcepit DEUS, nè comederent, & ipse dicit de omni. Coram Christo autem non audent tam crasse mentiri, sed veritatem tamen supprimit in tribus: *Angelis suis mandavit* (omittit quis mandaverit) *de te.* Cur non exprimit nomen DEi? quia id formidabile erat hosti in tantum, ut impuro ore pronuntiare vereretur; E contra Christus in omni tentatione hoc sanctissimo nomine sese protegit. Deinde dimidiam partem præsentis versus omittit, videlicet: *ut custodiant te in omnibus viis tuis.* erant enim contra diabolum ut notat S. Bernardus ser. 14. in Ps. 90. *non est via hæc sed ruina; etsi via est, tua est, non illius, id est Christi.* Denique contituit sequentia verba: *Super aspidem & basiliscum ambulabis,* de his quæ de se dicta sunt, tacuit, inquit S. Hilarius, scit nefarius quæ sunt ad alium; quæ ad se pertinent, tanquam ignarus, tacet.

Non taceamus nos, quoties furrum Sathanæ audimus, quin ocyus *Verbum DEI* tanquam antidotum probatissimum, scutum securissimum, munimentumque inexpugnabile opponamus, iisque nos potissimum tueamur verborum divinorū formulis, quibus teste experientiâ & propriâ dæmonum confessione facillimè profligantur atque enervantur, quales potissimum sunt tres primi versus ex Psalmo Sexagesimo septimo: *exurgat DEUS & dissipentur inimici ejus & fugiant, qui oderunt eum à facie*

Kk

cie

cie ejus. Sicut deficit fumus deficient, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie DEi. Et justi epulentur & exultent in conspectu DEi & delectentur in letitia. Deinde versus decimus ex Moyſis Cantico Deut. 32. DEUM qui te genuit dereliquisti & oblitus es Domini Creatoris tui. præterea verba illa Liturgiæ: per ipsum (JESUM Christum) & cum ipso & in ipso est tibi DEO Patri omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor & gloria. & his similes Sexcentæ Sacrorum verborum formulæ retundendis inferni potestatibus mirum quantum sunt efficaces. super omnes verò hæreat hodiernum biverbium: Scriptum est, quo omnia tela nequissimi ignea, quibus ad violandam divinam legem nos perurget, feliciter retundamus.

lucifugas inquam aves fugat: Exurgat DEUS & dissipentur inimici & fugiant qui oderunt eum. Verbum DEi nobis pro sole est, quia mandatum lucerna est & lex lux, hoc solo sole fugantur, deinde fumum in aère fingamus, quem Ventus dispellit: sicut deficit fumus deficient. adsit nobis Spiritus ille vehemens, qui in novæ legis promulgatione Venti vehementis sonum assumptus, ad caliginosos Spiritus infernalis fumos dispellendos, ut sub divino ejus patrocinio omnis stygia inspiratio abeat: non in aures, sed in auras. Denique ceram ante focum ignis collocemus, sicut fluit cera à facie ignis, ignem JESUS venit mittere, quo si accendamus & ardeamus, omnes infernalis hostis machinæ, tanquam cera in igne: sic peribunt.

S. 7.
Emblema.

Emblema problematis hodierni ex citati Psalmi 67. versu primo & secundo secundissimè desumamus, & ex orientem fingamus solem, qui tenebras & tenebriones,



PRO-